

**Dissertatio medica inauguralis, de paraphrenitide ... / Eruditorum examini  
subjicit Christophorus Rogers.**

**Contributors**

Rogers, Christopher, active 18th century.  
Wishart, William, -1753.

**Publication/Creation**

Edinburgi : Apud Hamilton, Balfour, et Neill, 1751.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/gjh6ssr9>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

11

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
PARAPHRENITIDE:

QUAM  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex auctoritate reverendi admodum viri

D. GULIELMI WISHART, S. T. D.  
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,  
et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,  
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CHRISTOPHORUS ROGERS, HIBERNUS.

Ad diem 21 Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:  
Apud HAMILTON, BALFOUR, et NEILL.  
M,DCC,LI.

DISSEMINATED BY THE

LIBRARY OF THE

UNITED STATES DEPARTMENT OF THE INTERIOR

PAUL H. RAVENHILL

ROBERTO

AND HIS WIFE

OF THE

GUILLINO ROGERS

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE

AND HIS WIFE



FRATRIBUS SUIS AMANTISSIMIS,

MERITO AMATISSIMIS,

ROBERTO

A C

QUINTINO ROGERS,

ARMIGERIS,

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS,

SACRAS VOLUIT,

NATURA ILLIS, ET AMICITIA DEVINCTISSIMUS,

CHRISTOPHORUS ROGERS.





# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS,

### DE

## PARAPHRENITIDE.

**C**ORPORIS nostri, summa quidem cum solertia efformati, structuram perpendenti, non mirum videbitur, quod morbis tam saepe vexati sumus; sed id potius mirum erit, quod, vel horam, vitam degere possumus a morbis immunem: et proculdubio, mors inopinatus, morbi frequentius nos obruerent, nisi natura provida alias partes aliis longe magis vitae necessarias posuisset, atque sic eas ordinasset, ut quae ad vitam et salutem maxime faciunt, in locis ab externis injuriis remotissimis collocarentur, dum minus necessariae, situm exteriorum obtinentes, casibus externis magis sint opportunae. Sed heu! quod hae partes a damnis externis quam optime munitae, internis aequae ac aliae obnoxiae sint: omnes, sine discrimine, obsidet inflammatio, a qua sola provenit maxima longe pars malorum quibus vita humana fato inevitabili angitur. Hi autem morbi inflammationem pro causa agnoscetes, nomina, a partibus affectis variis, varia tulere, et quo nobilior et ad vitam magis necessaria est pars inflammatione correpta, eo sane saevior fit morbus.

INTER



INTER quos Paraphrenitis (de qua, ut decretis celeberrimae hujus academiae pro ingenii tenuitate morem geram, quaedam proferre statui) est inflammatio, septi transversae membranas, vel et ipsam substantiam carneam, occupans.

HICCE morbus Paraphrenitis nuncupatur, vel ob sententiam quam tenuerunt antiqui de sede animae (φρενός) quam in septo transverso esse putarunt; vel ex παρα, et φρεν, mens, quasi delirium notaret, hujus mali comitem fere perpetuum.

HIC affectus non tam rarus est, ac raro quidem cognitus, quamvis saepe praesens vel omnino negligitur, vel pro aliis, quorum speciem fert, sumitur morbis.

UT igitur sedes hujus mali clarius innotescat, non abs re erit descriptionem quandam levem septi transversae hic tradere.

Ex duobus conflatur musculis, quorum primus, superior dictus, a sterni et costis spuris ortum ducit; secundus inferior vocatus, a tribus primis lumborum vertebrae, et ab ultimis et penultimis thoracis, originem suam trahit: ambo hi musculi, sibi mutuo occurrentes, tendinosam diaphragmatis partem constituunt: duobus cingitur membranis, parte concava, peritonaei, parte convexa, pleurae productione \*: tria inveniuntur foramina in diaphragmate, primum,

\* Keil's Anatomy.



rum, rotundum et tendinosum, venae cavae transitum praebet; secundum, ovale et carnosum, oesophagum transmittit; tertium, parte carnosum, parte tendinosum, aortam transire finit: sanguinem, ex phrenica praecipue, et intercostalibus arteriis, accipit: nervis, a tertio cervicali praecipue, abunde ditatur\*.

QUAMVIS neque sexus, neque aetas a Paraphrenitide immunis evadat, tamen, (ut et pleuritis huic affinis) eos praecipue exercere solet, qui plethorico, bilioso temperamento gaudent, juvenesque robustos, qui rure degentes, docti sunt a pueris duos perferre labores.

SI inflammatio septum transversum primario occupaverit, nullo alio morbo inflammatorio praegresso, idiopathica; quando autem, a materie morbi inflammatorii praegressi, in septum vi febris rapta, ortum duxerit Paraphrenitis, symptomatrica vocatur.

OMNES causae, quae inflammationem in genere creant, Paraphrenitidi originem praebere possunt, et quodcunque has causas generales ad septum transversum determinare possit, quale est angustia vasorum quae sanguinem ad septum transversum vehunt; quo enim angustiores sunt hae arteriae, eo facilius quidem sanguis densus inflammatorius, in iis obstructus, haerebit; huc etiam pertinent, singultus violenti et diurni, vulnera, &c. Subitae aeris  
mutationes,

\* Winsl. anatom. du corps humain.



mutationes, praecipue ex calido in gelidum, (ut haud raro in coelo nostro mutabili accidit) hunc morbum inducere valent: potus omnes gelidi, aquosi praesertim, pleno haustu corpori aestuanti ingesti; et omnes denique causae, quae arterias septi, calore relaxatas, et amplificatas, subito constringendo, sanguinem in earum angustis haerere faciunt; obstructionem enim sic natam inflammatio quam citissime excipiet.

CAUSIS jam enarratis, ad symptomata recensenda progrediemur.

FEBRIS acutissima, continua, hunc morbum semper comitatur: dolor misere excrucians, a sternone et costis usque ad vertebrae lumborum superiores sese extendens, omni inspiratione adeo augetur, ut fere intolerabilis evadat: tussis adest sicca, dolorem creans acerrimum, ut et singultus: dolor etiam lancinans a sternutatione, ventriculi repletionem, et vomitu, qui, cum nausea praecedente, fere semper miseros urget; ut etiam in alvo et urina reddendis: hinc, abdomine tantum non prorsus immoto, thoracis ope, quantum fieri potest, peragitur respiratio, quae, Boerhaavio \* notante, parva, celeris, et suffocativa est; si Nicholao Pisoni fides adhibenda sit, prorsus “ inaequalis, ut modo “ exigua sit et frequens, modo magna et angustiosa, vel “ suspiriosa †; Riverius ‡ parvam esse et frequentem affirmat,

\* Aph. §. 909.

† Nichol. Piso, lib. 1. cap. 10.

‡ Prax. Med. lib. 1. cap. 11.



mat, quod magis equidem rationi consentaneum videtur: anxietas interim molesta aegrum opprimit: hypochondria intro et fursum, quasi sub costas, trahuntur; quam rem Celsum haud effugisse ex his verbis patet; “ Si septum  
“ transversum percussum est, praecordia fursum contra-  
“ huntur \*;” neque latuit Pisonem, qui pro signo patho-  
gnomico hujus mali id habuit, dicens, “ hypochondria  
“ intendi proprium est indicium septi affecti †:” Ritus  
Sardonius, circa finem morbi, vultum dehonestat, tristis-  
simum amicis exhibens spectaculum: per totum fere morbi  
decursum delirium pertinax mentem occupat.

SIGNORUM jam memoratorum, (quorum alia, morbis  
aliis communia, alia autem huic, sunt propria) rationem  
ut reddamus, nunc postulat ordo.

QUUM omnem vel minimam inflammationem semper co-  
mitetur febris, saltem partis, ut apud Van Swieten videri  
est, ubi dicit, “ Si non in toto, saltem in parte inflammata,  
“ pulsus robur, et celeritas augebuntur ‡;” non erit miran-  
dum, quod febris adeo valida ab inflammatione septi trans-  
versi oriretur, nunquam prius sedanda, quam inflammatio  
ipsa tollatur: dolor, custos noster atque monitor fidelissimus,  
est ingrata perceptio, a distractione fibrarum nervosarum,  
in mente excitata; cum igitur diaphragma, nervis tam ab-  
unde

B

\* Cels. med. lib. 5. cap. 26. p. 305:

† Loco jam citato.

‡ Van Swieten comment. in aph. §. 371. p. 628.



unde ditatum, inflammatione corripitur, fieri non potest quin summi exinde doloris sensus oriatur, tunc autem praesertim, quando pars ejus nervosa afficitur: delirium, a dolore acerbo, perpetuo; ab impedita respiratione, quo fit, ut sanguis copia solito majori in vasis capitis coacervatus, mollem cerebri substantiam comprimat; vel a materie morbi forsan in caput delata; vel ex omnibus simul, originem trahere videtur: ex accumulatione sanguinis in pulmonum angustiiis, fit anxietas de qua conqueritur aeger: primo intuitu apparet, cur singultus, tussis, sternutatio, et vomitus, tam saevum afferant dolorem; nam omnes hae actiones, a septo transverso validissime se contrahente, perficiuntur: ab eadem causa provenit dolor in alvo et urina reddendis; musculi enim abdominales, et diaphragma, ad hoc opus absolvendum, in actionem necessario deducuntur: hinc etiam intelligitur, quare thoracis auxilio, quantum in illis est, respirationem perficiunt Paraphrenitici; atque haec respiratio sublimis optimam praebet notam, qua Paraphrenitici a pleuriticis distingui possunt: hypochondria fursum contracta retinent aegri, ut, musculis abdominalibus viscera interna contra septum perpetuo prementibus, id, quantum possunt, immotum teneant: Rîsus Sardonius, (sic dictus ab herba \* noxia ranunculo simili, in insula Sardinia nascente, quae, si comedatur, labia contrahit, ita ut ejus usu interemptus ridere videatur), pro pessimo habetur signo; docet enim † convulsionem.

\* Paul. Aegin. de re med. lib. v. cap. l. p. 548. Actuarius. med. lib. v. cap. xii. p. 286.

† Vid. River. prax. med. lib. i. cap. vi. p. 173.



convulsionem musculos labiorum jam occupasse; quae, quamvis semper sit periculosa, tunc autem maxime, quando febris supervenit, ut ex verbis Hippocratis liquido constat; Πυρετὸν ἐπὶ σπασμῶ βελτιον γενεσθαι, ἢ σπασμὸν ἐπὶ πυρετῶ\*; notat enim maximam febris malignitatem; sed convulsio, hic, non solum febrem, sed etiam delirium comitatur; ex quo colligere licet, omnes jam cerebri actiones turbari, et aegrum in summo discrimine versari: atque in ea sententia esse videtur Aetius, quando, de convulsionibus agens, haec dicit; “ Sequitur autem maxime (convulsio scil.) ad perniciosas “ Phrenitidas, et tum propter febris vehementiam, tum in- “ tentos et agrestiores motus; et ex iis qui sic convulsi “ sunt, neminem servatum esse ipse vidi, neque, qui vi- “ disse, audivi †.”

DE prognosi facile judicandum erit; tuto enim pronun- ciare licet quod malum hocce non sine summo periculo ad- esse potest; idque quia viscus a quo pendet ipsa vita occu- pat; ob nervosam ejus structuram, et motum ejus perpe- tuum respirationi necessarium; qui inflammationem semel ortam semper in pejus ruere facit; unde si initio non ob- viam itur, pro lethali habendum: notatu tamen dignum est, quod olim observavit Galenus, ὡσαύτως δὲ καὶ τὰ τῆς διαφράγματος τραύματά τὰ γε μὴ διαχόντα πρὸς τὴν κτῆσιν, ἐν μὲν τοῖς σαρκώδεσι μέρεσι πολ- λάκις ἐκολλήθη, μηδὲν ὑπο τῆς κινήσεως αὐτῆς παρεμποδιζόμενα τὰ δὲ ἐν τοῖς νευρώδεσιν ἀνίατα ‡. Unde colligere fas est, eo magis vel  
minus

\* Hippoc. sect. 2. aph. 26.

† Aetius tetrabibl. 11. serm. 1. cap. 131. p. 236.

‡ Meth. meden. lib. v. cap. ix.



minus funestum esse hunc morbum, prout carnosam seu tendinosam septi transversi partem corripuerit inflammatio: robustis, sanguine refertis, et senibus, magis quam pueris, et debilibus exitiale.

UT curationem faeliciter absolvamus, summa ope nitendum est, ut morbum jam nascentem debellemus, atque hic quod de amore canebat Ovidius, nobis etiam monere liceat de malo sane graviori;

*Principiis obsta: sero medicina paratur,  
Cum mala per longas invaluere moras\*.*

IN hunc igitur finem nervos intendere debemus, ut quam citissime inflammatio resolvatur: remedia hinc omnia antiphlogistica usurpanda sunt; sanguis magna copia subito, vel et usque ad prima leipothymiae signa, e vena jugulari pleno rivo detrahatur; sic enim optime solvitur inflammatio, lenitur dolor, levatur respiratio, tollitur delirium: potus interim aquosi, diluentis, larga copia corpori ingeratur, ut densitas inflammatoria sanguinis solvatur, atque fluiditas ei concilietur; huic etiam addantur mollissima farinosa, ut vasa quam maxime laxentur. Si dolor semel lenitus iterum recurat, iterum ad sanguinis missionem, remedium certe praestantissimum, recurrendum est: cataplasmata resolventia, detergentia, pulcherrimum etiam praestant effectum; neque negligendae sunt cucurbitae, quae  
impetum

\* De remed. amor. lib. 1.



impetum sanguinis a parte affecta revellendo, multum ad resolutionem exoptatam conferre valent: clysmata mollia, laxantia, qualia ex decocto malv. femin. lin. talibusque fieri solent, addito salis nitri pauxillo, ob vicinitatem coli multum hic profunt; nam fibrae rigidae exinde molliores, et laxiores deveniunt, et minus aegre distractionem patiuntur: omnia interim acria, stimulantia, vel cardiaca sedulo vitanda sunt; et omne id quodcunque febris vim intendere possit: victus sit levis, tenuis, et refrigerans; lactis serum, decocta farinosa, ptisanæ hordeaceae, fructus maturi cocti, optime huc conveniunt; atque cura sit, ut parva copia simul, repetitis saepe vicibus, assumatur: potus sit aquosus, diluens, et leviter aescens; succus aurantiorum, limonum, ceraforum, et similium, magna copia aquae temperati, addito spir. minder. potum praebent gratum simul et aptum.

HISCE remediis si cedat inflammatio, ex critica quadam evacuatione, symptomatibus omnibus simul levatis, facile cognosci potest; et tunc fere nihil agendum, nisi ut attendamus ad evacuationes quibus utitur natura ad materiem morbi eliminandam, atque his promovendis animum intendamus, memores moniti Hippocratis, *Α δὲ αἰεὶ ἄγειν, ὅκεν ἂν μάλιστ' ῥέπη, ταύτη αἰεὶν, διὰ τῶν συμφερόντων χωρίων.* \*

SI omni artis molimine non prohiberi potest, quin in sup-  
 purationem abeat inflammatio, tunc sedulo observandum,  
 an pus in thorace, an autem in abdomine, colligatur; si

C

in

\* Hippoc. aph. 21. sect. 1.



in thorace, manu chirurgi statim in cavitationem pectoris incidendum, ut collectio puris foras inde educatur: medicamenta interim expectorantia propinanda, ut materies purulenta, post paracentesim residua, vel nova forsan collecta, per sputum rejiciatur, praesertim si natura ipsa prius monstraverit viam.

Si autem pus in abdominis cavum effluxerit, de aegro fere conclamatum est, nulla enim datur porta qua exeat: mala quae inde necessario sequuntur a Boerhaavio sic enarrantur, “ Ubi vero suppurato diaphragmate prius inflammato, abscessus in cava abdominis ruptum suum pus evomit, fit collectio ejus in abdomine, aggestio, putrefactio, tumor, viscerum exesio, tabes miserrima, mors;” \* atque statim postea addit, “ Estque totum hoc malum insuperabile licet cognitum †.” Quamvis autem aeger in vitae discrimine versatur, nihil, quod ars efficere valet, omitterendum est, ut malum, curatu licet forsan impossibile, quam maxime saltem extenuetur; antisepticis igitur dictis remediis arcenda est, quantum fieri potest, putrefactio; atque praeterea totis viribus innitendum, ut pus absorptum ad intestina ope medicamentorum cathartorum alliciatur, sicque e corpore eliminetur. Hisce frustra tentatis remediis, aeger febre hectica lente marcescet, donec tandem spiritus suus tenues avolet in auras, nam,

*Non est in medico semper relevetur ut aeger;  
Interdum docta plus valet arte malum.*

\* Boerh. aph. §. 912.

† Boerh. aph. §. 913.